



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro stultitia quadam laudabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Pro humili subiectione, precatio.

O Infinita ac interminabilis bonitas Christe Iesu pijsime, inspira & confirma in me spiritum bonum, qui me semper ad feruentiorem profectum inflamma: spiritum, inquam, veræ & perfectæ humilitatis, qui me dirigat, doceat, & informet, quomodo ex toto cordis affectu, sine aliqua cordis remurmuratione sub omnium pedibus, maximè seniorum & prælatorum meorum me subijcere, humiliare atq; inclinare, omnemq; proprium sensum relinquere, & eorum ductum atq; iudicium sequi possim, quo tanto expeditius te Deum meum, qui vsq; ad mortem animam tuam humiliasti, per regiam humiliationis viam gratia tua adiuuante sequar, Amen.

Pro stultitia quadam laudabili, precatio.

O Iesu clementissime, ex intimis præcordijs te oro, vt me ad omnia quæ huius mundi sunt stultum facias, quatenus præter te nil sciam aut velim: vtq; in oculis meis totus sim vilis ac abiectus, nec ab vlllo vnquam appetam honorari, sed magis despici atq; vt fatuus vilipendi, Amen.

Pro propria vilitatis agnitione, precatio.

O Iesu superdulcissime, vnam tuam profundissimam humilitatem cordi meo tam profundè inscribas, vt nulli superbiæ motus in me locum inueniant, neq; me vlli vnquam creaturæ propter nimiam meam indignitatem & vilitatem comparare audeam, sed quasi omnium vilissimum atq; nouissimum ex animo omnibus substernam, omniumq; quos mundus continet hominum imperfectissimum ac infimum iudicem, Amen.

Pro sui vilipensione, precatio.

O Iesu desiderantissime, supplico quam deuotissime possum ardentissime tuæ erga me charitati, vt ad profundissimæ humilitatis virtutem cor meum præparare digneris, tantotq; tui suauissimi amoris igne me succendas, vt omnia mundi blandimenta, omniaq; transitoria & meipsum totum propter te contemnam, nec vlla mundi aduersa, vel conuiciantium mihi probra pertimescam, sed totis viribus te per viam, despectionis & crucis opprobrium gaudens imitari desiderem, neq; (quod seculi huius amatoribus proprium est) doleam si alij mihi præferantur; imò vehementer contrister, si aliquis mihi honor à quoquam deferatur, Amen.

Pro humilitate, precatio.

Iesu Christe, amator & magister humilitatis, qui abiecta huius mundi eligis, vt fortia quæq; confundas: quiq; secreta tua abscondis mundi sapientibus, & renelas ea paruulis, apud quem etiam abominabile est, quod altum est hominibus: infunde cordi meo perfectissimam tibiq; acceptissimam humilitatem. Dulcis Iesu, qui dixisti: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: doce me vt feruentissimo desiderio optem, gaudensq; accipiam omnem humiliationem, vilificationem, atq; contemptum meipsum. Extingue pijsime Iesu in me appetitum omnem inanis gloriæ, vt ex toto corde meo cupiam gaudeamq; nesciri, cõtemni, vilis reputari, & opprobria pati. Eia pie Iesu, fac vt tibi soli placere cupiam & propter te nemini displicere timeam. Fac vt propriè vilitatem, miseriam, inconstantiam, prauitatem, & quam nihil sim verè cognoscam, & ex animo detestabilem me sentiam, atq; ab alijs sentiri cupiam.

Matth. 23

Matth. 23